



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

4. Virtus & invidia evehunt in astra.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Virginem, sibi jungi, ut eius vitæ primitias ambiat: ne quis, cum juventutem peccando exhausserit, languidam ac enervatam senectutem, ac vitæ faciem virtuti (& Deo) reservet. Vidit idipsum Seneca Epist. 108. Quid ergo cessamus, inquit, nos ipsi concitare, ut velocitatem rapidissimæ rei possimus æquare? Quemadmodum ex amphora primum, quod est sincerissimum effluit; gravissimum quodque, turbidumque subsidit; sic in ætate nostrâ, quod optimum, in primo est. Id exhauriri in aliis potius patimur, ut nobis faciem reservemus. Hæc ethnicus Philosophus ipsis ethnicis exprobrat, quod nobiliores vitæ spiritus, & mustum juventutis in nequitiis effundant, & exhauriant; sibi autem ut in senectute vivant, viribus corporis & animi exhaustis, mentis ac rationis impotes, *faciem reservent*. Quid ad hoc Christiani?

IV. (d) Jupiter Ganymedem feras venantem per aquilam in cælum rapuit. Facit id virtus, quæ hominem brutas cupiditates, velut bestias, insectantem altius tollit, & ad cœlestium consortium evehit Jacobus Masen in spec. imag. Qui rem ad historiam referunt, inter quos est Eusebius, ajunt Ganymedem, minorem natu à fratribus interemptum; ad consolandas autem senis parentis (nempe Laomedontis, regis Troiæ) lacrimas, & leniendum desiderium, fingebant fuisse subtractum à Jove, sub aquilinâ specie latente, inque cælum subvectum; quemadmodum olim filii Jacobi Patriarchæ, cum vendidissent Josephum fratrem, ingenio, formâ, vaticiniis spectabilem, mentiti sunt patri, ipsum alicubi à bestia raptum, devoratumque fuisse. Rectè Plutarchus in Moralib. ubi nullum lumen, ibi nulla umbra: ubi nulla felicitas, ibi nulla invidia. Ubi mel, ibi fel: ubi uber, ibi tuber: virtus dum premitur, extollitur. Ganymedes exturbatur è numero hominum, ut sedem accipiat in Choro superum, Sic itur ad astra. Huc facit Epigramma:

Dum puer Iliacus disponit retia silvis,  
Atque agitat celeres per juga celsa feras.  
Ætheriis subito delabitur Ales ab oris  
Armiger, innoeuis unguibus hæret onus.  
Felix præda volat frustra latrante Lycisca:  
Invidiam virtus non timet alta canem.



(d) Virtus & invidia Ganymedem sustulere in astra.

SYM-